

Semidiametri terrestris. Duplicata igitur CB emergit tota diameter Cometæ 29 min. 50 sec. qualium diameter orbis terræ est 2. part. seu 120 min. Est igitur proportio diametri Cometæ ad diametrum terræ, ut 179 ad 720. Quum autem sphaeræ sint in triplâ ratione suarum diametrorum per ult. prop. l. 12. Element. proinde quando singuli horum numerorum cubicè multiplicentur, & minor cubus majorem diviserit, constat Cometam 65. circiter vicibus telluris globo minorem fuisse. Quod si melioris doctrinæ gratiâ milliariibus germanicis hæc definire placet, suppositâ diametro terrestris secundum Tychonem & Kepplerum 1720. mill. germ. cum diameter Cometæ se habeat ad illam ut 179. ad 720. calculo subducto prodeunt 427. milliaria cum duabus tertiis pro diametro Cometicâ, quibus, neglectis minutiis (nec enim ad vivum omnia resecabimus, ὀλοχρεῶς solummodo quantitatem Cometæ supputantes) per 22. multiplicatis, & producto per 7. diviso, provenit Circumferentia capitis cometici in milliariibus 1342. Hæc per diametrum multiplicata dant externam Cometæ superficiem s. convexitatem ferè 563034. milliari. quadrat. quorum tertia pars in semidiametrum ducta ipsam Cometæ corpulentiam absolvit & exprimit 40069253. milliari. cubicis. Et hæc videtur fuisse corpulentia Cometæ primùm in lepore nobis apparentis, quæ postea promotò Cometâ successu temporis sensim ac sensim decrevit, usq; dum Cometa ex oculis nostris planè disparuit. Octiduo ante finem suæ durationis 1007. vicibus adhuc terrâ minor fuit, suppositâ, quam supra inquisivimus, distantiam ejus 687. Semid. unâ cum diametro corporis visibili 1. minuti, quâ cum Saturno eodem tempore simul apparente convenire videbatur. Nam in Triangulo rectangulo CBA schematis ante dicti, assumptâ BA 687. & angulo CAB 30 sec. quod est dimidium visibilis diametri, erit ut Sinus T . ad tangentem anguli BAC 1454. ita 687. ad CB 5 min. 59 sec. unius Semid. terræ. Duplicatâ igitur CB emergit tota diameter 11 min. 58 sec. Hinc proportio Cometæ ad terram datur ut 359. ad 3600. quasi 1. ad 10. Hæc, quæ fusiùs hîc aliquantò deduximus, quamvis veram Cometæ quantitatem non ita præcisè exprimant, ut ne latum unguem quid deficiat, fieri enim hoc nequit etiam ab iis qui instrumentis accuratissimis sunt instructi, tamen eam nobis distan-

distan-